Religionis decori aliquo modo detrahat, vel Græco Romano Unitis eorumque Iuribus quomodolibet præiudicium afferat; Apslicus Nuncius ut demandato sibi muneri satisfaciat et S. Unionis (ut par est) atque Catholicæ Religionis indemnitati præcaveat: Supplices preces Sacræ Regiæ Maiestati humillimè porrigit, ut hæc super tam gravi re diligenter velit perpendere quid sibi uti Orthodoxo Principi magis expediat, quam noxium ipsius gloriæ, et quam indecorum, si aliquid in eadem Instructione ponatur contra id, quod de egregia ipsius pietate concepta à Christiano Orbe spes exigit. Quamque hac de Causa ob ingentia beneficia ab Omnipotenti Deo recenter, et abundè in Maiestatem Suam collata ingratitudinis notam subiret. Sacrorum quoque Antistitum in partem sollicitudinis Dominici Gregis astumptorum et cuius defensio et tutela in toto amplissimo Regno ipsis incumbit, authoritatem auxilium et assistentiam implorat: Dnorum ~~Exmorum~~ etiam Secularium Senatorum, non minori Antecessorum suorum erga Sacram Religionem nostram cultu pollentium opem expostulat, eosdemque, prout etiam Dnos omnes Equestres Ordinis terrestres, ac vocatos Nuncios, una cum Generosâ huiusce Religiosissimi Regni Nobilitate, quæ pro Catholicæ fidei